



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita Et Passio SS. Placidi monachi, discipuli sancti Benedicti, & fratrum eius, Victorini, Eutyhij ac sororis Flauiae virginis, Donati, Firmati, Diaconi, ac Fausti & aliorum triginta, Ex actis, à ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

Etione peramanter ac piè impartita, omnibus alijs cogitationibus abiectis, locum Ioannis, quo Christi passionem exponit, sibi legi faciebat. Qua lectione cum mirum in modum delectaretur, tandem voce, qua poterat, in Psalmum 141. erumpens, versu illo, Me expectant iusti, donec retribuas mihi, suaviter prolato, ex ergastulo corporis in cælum emigravit. Porro sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic à die transitus sui vsque in præsens per diuersas mundi partes præclaris miraculorum prodigijs, diuina se potentia glorificante, coruscat. Nam præter cæcos, surdos, mutos, claudos alijsque necessitatibus afflictos ipsius meritis curatos; complures & mortui mirificè fuere suscitati.

Ioan. 13.

Felicissimè  
migrat.Eximij clarè  
miraculà  
post obitum

VITA ET PASSIO SS. PLACIDI *Vide C. Ba-*  
monachi, discipuli sancti Benedicti, & fra- *ron. Annal.*  
trum eius, Victorini, Eutychie ac sororis Fla- *Tom. 7.*  
uie virginis, Donati, Firmati, Diaconi, ac  
Fausti & aliorum triginta, Ex actis, à Gor-  
diano eiusdem Martyris famulo, iussu Iusti-  
niani Imperatoris conscriptis. Tempus passionis  
patet infra.

TEMPORE, quo Theodoricus 2. Gotho-  
rum in Italia Rex, in seniore Roma, 5. Octob.  
in \* noua verò Iustinus senior & Iusti-  
nianus Romani Imperij scèptra moderaban-  
tur, Tertullus vir nobilissimus, & in vtraque  
euria Romani Imperij post Augustos nulli  
secundus, ac patriciatùs honore in suo merito  
decoratus, tanta sapientiæ, fortitudinis atque  
F 3 prudent-

\* Constanti-  
nopoli.Eximia laus  
patris eius.

prudentiæ opinione apud omnes vigeat; ut ab omni populo Romano ipsiſque imperatoribus pater patriæ vocaretur. Is ex Aniciorum ſanguine præclaro inprimis atque illuſtri, genus ducens, ducta de Octaviæ gentis familia vxore, corpore ac moribus ſpecioſiſſima, primū ex ea filium ſuſcepit Placidū, ſecundum Eutyrium, tertium Victorinum: quarto verò loco puellam; quam ea propter, quod ex Octavioꝝ & Flavioꝝ ſtirpe descenderet, Flaviam nominandam cęſuit. Hæc tam fecunda à Deo ditati ornatique prole pij parentes, nihil in votis habuere prius, nihil ardentius, quàm ut cuncti optimis ſanctiſſimiſque ornarentur moribus, virtutibusque: quò poſt breuem & caducum huius vitæ curſum æterno in cælis præmio affici mererentur. Nam ipſe pater vir patricius licet aſſiduè penè regni negocijs implicitus eſſet, animum tamen ſemper ad cæleſtia erigebat, pulveremque ex humanis actionibus contractum frequenter per pias ardentibusque orationes & meditationes in Eccleſijs ac monaſterijs excutiebat.

a Anno Chri.  
ſti 523 Theo-  
doricæ Regis  
31 Inſini  
Imp. 6.  
Placidus tra-  
ditur S. Be-  
nedicto in-  
ſtituendus.  
Studet sedu-  
dò proficere.

Eodem a tempore Benedictus ſanctitatis opinione celeberrimus apud Sublacum velut Lucifer inter aſtra radiabat; totumque Imperium Romanum fama virtutum ſuarum replebat. qua, inter alios, Tertullus Patricius excitatus, ad eum contendit, ſuumque filium Placidum ſeptennem, optimis diſciplinis imbuedum tradidit.

Ea ætate puer, prompto hilarique animo ad caſtra Benedicti, Chriſto militaturus, accedens, mox ſummam vitæ ſobrietatem, ſacraſque  
vigi-

vigilias amplexatus; semper ad ardua & sanctiora anhelare: die noctuque quæ Dei sunt querere. Cumque feliciter admodum placideque vna cum beato Mauro sub signis Benedicti spiritualis militiæ stipendia faceret, & quibusdam sanctitatis à Deo præmijs ornaretur, quidam presbyter Florentius nomine, antiqui hostis veneno debriatus, cum sancti patris inuideret studijs, modis omnibus primò vitæ illius, ac deindè animarum perditioni sub eo militantium sceleratè insidiabatur. Quo sanè scelere offensus Pater, simulque diuinitus edoctus ad montem Cassinum fugibundus cum discipulis suis migravit: ibidemque subuerso Apollinis templo, & idolo contrito Cassinense monasterium opera Placidi & Nauri præclarè fundauit.

Eonuncio Tertullus, qui hæreditario iure Cassinum montè possidebat, incredibiliter gauisus, mox assumpris secū Boëtio, Symmacho, Vitaliano, Gordiano atq; Equitio, viris nobilissimis, ad Cassinum montem, Patrem Benedictum filiumque suū Placidū visurus perrexit. Quo vt peruenit, vt erat auro gemmisq; ornatus, humi se ad sanctissimi Patris vestigia proiecit; ac omni deindè cōgregatione peramater deosculata, supplex se in eadem societatem ascribi postulauit. Fecit eius postulato satis Benedictus; hominemque peramanter amplexas vitæ suæ sanctimonia clarissimisq; cum suis tū discipulorū virtutib. adèd in instituti illius amore pertraxit, vt Cassinū montem cū castris villis & possessionibus perpetuò possidendum Tertullus traderet. Neq; ea solū, sed & præter

*Hec latius  
habet Lector  
in vita S. Be-  
nedicti.  
21. Martij.*

*Tertullus  
pater Placidū  
heres montis  
Cassini.*

*Donat eum  
S. Benedicto.*

alia bona amplissima, decē & octo patrimonij sui, quas in Sicilia habebat cortes possidendas viro sancto detulit: modisq̄e omnibus sanctissimum illud vitę institutum confirmare dilatare, atque ornare studuit.

*Placidus sub S. Benedicto viam agit angelicam.* Inter hæc cum beatus Placidus robusta ætate vir angelicam in terris vitã præclare æmularetur, accidit, vt quidã in Sicilia nefanda auaritia prouocari, per fas, perq̄; nefas collatas possessiones diriperent, suisq̄e cupiditatibus aggregare vellēt. Quibus auditis venerabilis pater Benedictus, vt illorum fraudi obuiam iret, Christi que patrimoniu à direptione defenderet, ilicò Placidũ eò destinauit, mandauitque,

*S. Placidus fulget miraculis.* vt pulsus fugatisq̄e iniquis possessoribus, pietatem ac monasticam disciplinam sedulo amplificaret. Eo patris mādato vir summæ perfectę que obedientię instructus, iter suscepit, passimq̄; per loca, varijs coruscās miraculis, multos languoribus ac egritudinibus oppressos sanauit; cæcos illuminauit; dæmones ex obsessis corporibus fugauit, aliaq̄ue sanè admirandæ virtutis, quæ longum foret singulatim referre, opera edidit.

*Venit in Siciliam.* Cæterum vbi Messanã Siciliae ad urbem deuenit, fuit à Messalino, ciue Romano, patris ei⁹ Tertulli amicissimo, peramanter exceptus, ab eoq̄e summo cum honore in hospitium deductus. At verò beatus Placidus, quietis ac solitudinis amantissimus indecorũ afferens, sanctissimoque Ordinis sui instituto contrarium, hominem religioni cōsecratum, in ædibus laicorũ diuersare, mentemq̄; caligine mundanæ cōuersationis inuoluere, ilicò ad monasterium exstru-

*Hæc obseruanti religio.*

extruendum animum adiecit, breuiq; operis  
feruorum, quos numero septem millia ex pa-  
terna hæreditate habebat, adiutus, vna cum ec-  
clesia S. Iohanni Baptistæ sacra ad tectum per-  
duxit, ibidemq; à turba & hominum cõgref-  
su segregatus cælestib. disciplinis operam de-  
dit. Interea fama virtutum ac miraculorum  
eius longè lateq; vagante, multi sese in eius  
disciplinam tradere, sanctissimumq; institu-  
tum haud segniter æmulari. Quin etiam Eu-  
tychius & Victorinus germani eius, vna cum  
sorore sua Flauia virgine, diurno fratris de-  
siderio incensi relicta vrbe Roma, in Siciliam  
venerunt, diesq; aliquot cum fratre exigere  
decreuerunt.

*Exiuit mo-  
nasterium.*

*Iniuitur à  
fratribus  
suis & soro-  
re.*

Eodem illo tempore, Barbari cum instru-  
ctissima classe oras Siciliæ populabûdi, ingenti  
strage plurimis nostrorum illata, tandem ad  
S. Placidi peruenere cœnobium: ac protinùs  
vi summa effractis foribus, fratres in nocturnis  
laudibus ac hymnis depræhenfos, eorum Dux  
Mamucha vinculis arctissimè constringi iu-  
bet. Porrò Gordianus (qui cum Donato è Cal-  
sinenfi cœnobio S. Patris comes extiterat) ad  
primum irruentis exercitus strepitum fuga per  
quandam domus posticam elapsus, cædem eua-  
sit: Donatus verò, quòd deuexa atate vir esset,  
sinè vlla interrogatione, capite truncatus oc-  
cubuit. Indè furore & amentia præceps Mamu-  
cha, Placidum sibi vna cum fratrib. Eutychio  
Victorino, & Flauia virgine, Fausto, Firmato  
Diacono simul cum monachis triginta catenis  
vinctos adduci præcepit. Quibus adductus &  
in Christi confessione, minitante furenteq; *Placidus cõ  
suis sustine  
cediunt.*

*Barbari de-  
populantur  
Siciliam.*

*Irrunt in  
Monasteriũ.*

*Mittuntur  
in carcerem.*

*Secundò a-  
cerrimè ca-  
duntur.*

*Iterum car-  
ceri manci-  
pantur.*

nequicquam Mamucha, constanter persistentibus, tandem cunctos vestibibus spoliatos, fustibus grauius cædi mādauit. Sancti verò martyres ijs in supplicijs gaudio exultātes, Christū Saluatorē vno ore laudabant, q̄ digni haberentur pro nomine Iesu cōtumeliam pati. Stupefactus ad ea crudelissimus arbiter, iussit multiplicari flagella, verbera verberibus addi, omniq̄; cruciatū atrocitate eorū constantiā fatigari. Sed sanctis pari animi virtute sinè vlla timiditatis significatiōe ea supplicia perferentib⁹ Dux stupefactus præcepit oēs, vinctis post terga manibus, ad carcerē recipi, & continua 7. dierū inedia affligi. Indè cum barbari nihil immutatos martyres inuenirēt, Duci renunciārūt, Placidū cū socijs absq̄; omni cibo potuq̄; sanos & incolumes Christi gloriā prædicare. Dux belluina rabie accēsus, iussit oēs pedib. ex alto suspēsos, flagellis hinc indè crudelissimè laniari: & sub capite vniuscuiusq̄; horridū tetrumq̄; fumum subministrari. Sāctis verò in ijs cruciatib. inuicta animi virtute persistētibus tandē pugillum hordei crudi & paululū aquæ singulis præberi iussit: sicq̄; gloriosos martyres in ergastulū detrudi. Post hæc nefand⁹ arbiter cernēs se suppliciorū atrocitate nihil ꝑficere, statuit eorū animos promissis ac munerib. blanditijsq̄; delinire. Sed cum neq; illa fraus quidq̄; succederet, Dux maiore ira accensus, cuncta furoris sui instrumenta in mediū proferri, & martyres mēbris omnibus crudelissimè torqueri præcepit. Cumq̄; ministri iniquitatis, ducis iussa exequētes, post alios oēs sēquissimis supplicijs excarnificatos. Flauiam incredibili decore micantem, pedi-

pedibus in altum sustulissent, & Dux ea propo-  
 sitis tormentis à Christi cōfessione auocare co-  
 naretur: illa nihil truculenti hominis sœuitia  
 exterrita respōdit: Nunquam aded demens fui  
 vt dij vestris in summi illius Domini & æterni  
 Regis cōtemptrum, honores deferrē: quare age  
 nō modò præsentem hãc nuditatis ignominiã,  
 libens fero, sed etiã gladium & ignem, pro Dei  
 mei amore, perferre parata sum. Dux eo tã ge-  
 neroso virginis respōso lacessitus: Citò, inquit  
 ad ministros, fustibus hãc sine intermissiõe cæ-  
 dite. Frontē, mammillas & brachia torquētes  
 dissipate. Fumū acerrimū subministrare, varijs  
 tormentis corpus illius excruciendo necate.

Fuit, visu sanè horrendū, dies integra in talib.  
 supplicijs virgini inferendis expensa: ac tan-  
 dem omnes pariter eodem conclusi ergastulo.

Indè barbari ad alios similiter Christianos  
 conuersi, inauditis ferè omnes supplicijs affe-  
 cère. Interim Placidus suos luculēto sermone  
 precibusque assidujs, ad cōstantiam adhortans  
 sequenti die rursus cum fratrib. socijsque tri-  
 bunalī Mamuchæ oblatu est: vbi post multas  
 blanditias, minasq; verborum frustra intenta-  
 tas, denuò ad priora tormēta ventū est. Cumq;  
 in Placidum & duos fratres eorumq; sororem  
 præcipua crudelitate virgarū aded diū graui-  
 terque sequitum esset, vt cuncti eos expirasse ex-  
 istimarent: Deus, cui cura est suorum, Angeli  
 sui ministerio mox eos sanos & incolumes red-  
 didit: absterfisque plagarum liuoribus, maiore  
 quàm antè, pulchritudine decorauit. Ea re stu-  
 pefacti pagani, impiè istius miraculi gloriam  
 suo deo ascribere volebant. Sed Placidus eam  
 impie-

*Admiranda  
 fortitudo  
 Flauie vir-  
 ginis.*

*Horrendi  
 cruciatus  
 virginis.*

*Rursus Pla-  
 cidus cum  
 suis crucia-  
 tur.*

*Ab Angelo  
 curantur.*



*Os cōfringitur ac lingua Placido extrahitur: at nihilominus laudat Deū.*

*Flauia diuinitus àstu pro præseruatur.*

*Horrendum supplicium.*

*Respuit sancti martyres oblata murena.*

impietatem nõ ferens, magna voce clamabat, Christum Iesum solum Deum, vt omnium virtutum, ita & istius miraculi auctorem esse. *Qua* confessione cum Dux, tum alij irritati, sacrum illius os, arteriasque lapide confregerunt, linguamque radicibus præsciderunt. At verò Placidus præcisa lingua exclamans dixit: Benedictum nomen & virtus Domini nostri Iesu, qui liberat nos ab omni malo. Cumque fratres & soror Flauia respondissent, Amen: Dux præ nimio furore frendens dentibus, iussit eos iterum grauissimis contundi fustibus: Flauiam verò lenonibus quibusdam, pro scelus, violandam tradi. At virgo diuinæ bonitati virtutiq; egregie confisa, fusa ad Christum oratione, corporis sui integritatem, stupentibus repente brachijs eorum qui eam stuprare tentabant, conseruauit.

Post hæc impius Mamucha tetra peccatorum caligine circumseptus, tali eos supplicio die nocteque cruciari iussit. Anchoras immani pondere, martyrium tibijs impositas grauiori lapidum pondere depresserunt: vt hoc dolore compulsi Christum negarent. Interim pagani in tali supplicio constituti, ingentem auri & argenti vim, lapidesque preciosos & splendida vestium ornamenta offerebant; maioraque promittentes, tota die ac nocte ad cultum idolorum blandè eos inuitabant. At Placidus cum suis omnibus Syrenarum voces psallendo orandoque depellens, in supplicijs inuictus permanebat: & interdum impios illos graui oratione increpabat: monitaque, vicissim salutis præbebat.

Qua

Qua constantia Mamucha sæuissimus in rabiem furoremque cõuersus capitis in eos sententiam protulit: corporaque lupis, ac canibus & volucris cæli, obijcienda distauit: Tunc ilicò nequissimi ministri eiectos de custodia sanctos flagellando ad littus vsque maris, vbi truncandi erant, perduxere. Ibi postremò minis blanditijsque frustra eorum cõstantia breuiter tentata, cū maiore alacritate Christi numen pariter prædicarent, celebrarentque: glorioso fine præclaram martyrij palmam gladio

*Damnantur  
capitis.*

*Decollantur.*

Interea furor impietasque Mamuchi, fuso sanctorum sanguine necdum exatiata, monasterium solo tenuis adæquari iussit: ne qua Christiani nominis memoria extaret: & quia sacra ædes ab eodem Placido vasta admodum & ampla extructa, facile euerti nõ poterat, eam impij modis omnibus, quibus poterant, polluerunt, profanaueruntque. Indè verò quasi re præclare ac gloriosè gesta, conscensis nauibus, fauente mari, Rhegyum petere accelerarunt. Et eccè, vix medio cursu prosperè ac tranquille transacto, subitò ingens tempestas exorta, in apertam classis totius conspirans perniciem, fluctibus eam inuoluit, nauesque centum cum pugnatorum millibus admodum, sexdecim & octingentis ad ima depressit.

*Monasteriũ  
S. Placidi  
diruitur.*

*Barbari omnes  
in mari  
submerguntur.*

*Rhegyum  
oppidum sitũ  
in margine  
Italiae.*

Corpora verò sanctorum, que à feris intacta suauissimo referta odore eodem adhuc in loco iacebant, Gordianus religiosa animi pietate sepulturæ mandauit: Placidi quidem, Eutychie

*Gordianus  
sepelit sanctorũ  
reliquias mira-  
culis coruscantes.*

Victorini, & Flauia in templo Ioannis Baptistæ prius rite, vt potuit, emundato; reliquorum verò ibidem arena contextit: vbi præclara & admiranda beneficia, cæcis, claudis, paralyticis, alijsque morbis & calamitatibus oppressis, I E S V S Christus meritis sanctorum suorum in hodiernum vsque diem præstare non desinit.

Passus est autem beatissimus martyr anno ætatis suæ vigesimo sexto Iustiniani Imp. quinto decimo: qui fuit Christi Domini quingentesimus quadragesimus primus. Iuxta Baro. Tomo 7. hoc anno, 3. Nonas Octobris apud Messanam Siciliæ ciuitatem. Oblatus fuit à patre suo Tertullo patritio, anno ætatis suæ septimo S. Benedicto instituendus: Cum quo apud Sublacum annis habitauit quinque. In Cassinensi verò monasterio annis nouem. Indè missus in Siciliam cõdidit monasterium in patrimonio suo per annos quatuor: præfuitque eidem anno vno. Natus anno Domini quingentesimo quintodecimo: Primus omnium, in Ordine Benedictino, martyrio coronatus quadragesimo primo ac quingentesimo.

*S. Placidus  
protomartyr  
Ordinis Be-  
nedictini.*

**MARTYRIVM S. ET GLORIOSAE**

*\* Charitinae.*

*Vide C. Baron. Annal. Tom. 3. & Notat. in Martyr. Roman.*

*Virginis \* Charitinae: Ex eo quod est apud Metapbrasten. alia est Charitina, qua Roma passa est, cum Iustino, & Charitone, &c. Passa est autem, de qua hic agimus, anno Domini trecentesimo octauo, Marcelli Papæ 5. Constantini Imp. 3. sub Maximino in Oriente Imperante.*

GENE-